

IO ANNES STEFFAN VVORMATIANVS.



Iohannes Steffan pietate & prudētia apud Vuor-
matianos insignis extitit. itaq; in senatum ibidē
cooptatus, res sibi commissas egregie administra-
uit, atq; ob uirtutes in magna existimatione fuit. Id
cum Maximilianus Cæsar intellexisset, eum pluri-
mūm dilexit, & sepius de rebus arduis cum eo fami-
liariter contulit. Cum hoc modo per quinquaginta
et amplius annos Iohannes primas partes in senatu
obtinuisset, atq; patriam suis uirtutibus exornasset,
tandem ætate confectus Anno 1513 placide obiit, &
in cathedrali templo Vuormatiæ honestè sepultus
fuit.